QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 20 mensis Februarii 1716.

M. JOANNE BAPTISTA DODART, Sereniſſimæ Principiſſæ Dotariæ de Conty Medico Ordinario; Sereniſſimi Delphini, dùm viveret, Medico; Præſide.

An præcavendis ſenum morbis, victûs rationi venæ ſectio, ut plurimùm, ſit conſocianda.

I

MAGNAM moleſtiarum partem facilè declinaremus, & fatum quod juvenibus in propinquo, ſenibus in limine eſt, ante diem non obreperet; ſi tantùm in præcavendis morbis, quantùm in iis, dùm nos exercent, profligandis, operæ poneremus. Amiſſam tamen ſanitatem, ut ægrè recuperare, ſic præſentem facilè retinere & adducere ad extremam uſque ætatem licebit; ſi in victûs ratione, quos errores feceris, penſare auxiliis Medicis & præſertim venæ ſectione interdùm repetitâ cures: morbos enim Medicinæ ope præcaveri ita conſtat, ut certior nulla ſit pars artis Medicæ, quàm ea quæ ſanitati regulam ponit. Peſſimè nobiſcum ageretur, ſi morborum impendentium nulla præcederet ſignificatio & præmonitio. Vix unquam in morbum, niſi noſtrâ negligentiâ vel intemperantiâ incidimus; & ut apud parentes, ſemper bonam valetudinem contigiſſe liceret; ſi nos neque mores, neque deſidia, neque luxuria vitiaſſent. Indè Arthritis; Rheumatiſmus, Apoplexia, Hiſterici affectus; catarrhi, etiam colicus dolor, & plurimi affectus apud Aulicos, Magnates, tàm familiares, apud veteres aut ignoti, aut minùs cogniti, apud ruſticos & qui durè vitam agunt, tàm infrequentes: Et quod magis notandum, ipſa ſanitas athletica etiam aliquandò, niſi ſanitatis diſpendio conſervari non poteſt; quam ſolvendam haud cunctanter conſulit Hippocrates vaſorum evacuatione, id eſt venæ ſectione. At ſi præcavere morbos tam ſit utile in omni ætate, quàm potiori jure ſenectute adveniente! quo tempore moram cùm trahant humores, crudior ſit chylus, ſanguis viſcidior, partes ſolidæ minùs ſint flexiles, morem non gerant, ſeu potiùs duriùs imperent humoribus, innumeris calamitatibus ſenes ſunt expoſiti.

II.

QUOS longa ſeries annorum artibus, diſciplinis, vel rerum multiplici uſu & experientiâ magis exornavit, hæc eorum corpora non medio-

riter debilitasse certissimum. In juventute fervidior atque spiritibus turgens sanguis, vasa mollia ex quorum contextu tota compages corporis constat, vel exilissima facilè præterfluit: At sub senectute, quæ ipsa morbus & tabis genus est, partes durescunt, & de elaterio perdunt à sua flexibilitate desciscentes: undè contractionibus & excretionibus obeundis impares stagnant humores, crassescunt, perturbato, impedito, cessante quadamtenùs eo motu, eâ secretione, quorum perennitate & æquilibrio, sanitas vigebat. Quanta indè senem circumveniunt incommoda? tentatur caput vertigine, quæ ut præit, morbum attonitum, ita hic, si solvatur, in Paralysim desinit; hebescunt sensus. Thoracem quatit prava & in senectute vix sanabilis tussis. Pulmo viscus sanguisorbum subigendi, terendique chili instrumentum, elaterio imminuto difficiliùs contrahitur; nec satis expresso crudo, viscido, tenaci nimis sanguine, peripneumonia, plevritide, asthmate tentatur. Renes senum calculus, vesicam dysuria, artus diatesis Rheumatodes, articulos lapidosa chiragra nodosa, podagra vexant. Si cruor viscidior ventriculi alimentis infarcti vitio interceptus concreverit, cardiacâ syncope momento suffocatur. Etiam gelidus sanguis cutem urit pruritu & malignâ impetigine. Quamplurimis ob vitia adolescentiæ patet affectibus. Indè Febres Quartanæ, Cachexia, Hydrops; si morbos numeres, innumeris expositus incommodis; si causam perquiras? sanguis lentè mobilis, tardiùs fluens, succorum tenax, secretioni impar, in angustias viscerum impingens, diuturnis morbis ansam præbet. Idem ipse imminuto motu circulationis, inter moras intestino motu incandescens, ignem latè spargit; & sic Febribus tumultuosis, acutis morbis, inflammationibus viscerum ansam præbet.

III.

QUANTUM valeat ad morborum medelam victûs ratio, celso Hyppocratis Interpreti fides adhibenda. Delineatis ferè omnibus morbis, cæteros quos manus tractat enarraturus; *dixi*, inquit, de *de his quos victûs ratio maximè curat.* Quantùm autem valeat ad præcavenda vitia corporis explicat satis sequentibus verbis: *Verisimile est primis temporibus, inter nonnulla auxilia adversæ valetudinis plerumque eam bonam contigisse, ob bonos mores quos neque desidia, neque luxuria vitiarant, quos neque inquieta cogitatio, nec nocturnæ vigiliæ minuerant* Et certè plerumque pessimo victûs genere sanitati decoquimus. Quem blandæ voluptatis illecebræ aliquandò non irretiunt; ad omnem ictum nos exponit innata imbecillitas. Frigore, æstu, labore, offendimur; sed ut plurimùm potu & alimentorum copiâ rumpimur. Vis esse beatus? ad cibum & potum, ut vitæ, sic mortis viaticum, non tanquam ad vas implendum, accede: sic alimentorum temperantiâ, plus quàm eorum usu vitam perages. Exiguum desiderat ventriculus, immensum opinio. Qui sobriè degit, nec causarias habet partes, tàm vacat omni morbo, quàm humorum cœno. Frigus, æstus, externarum causarum vis, aer etiam pestiferus languescet, ubi nil adjuvabunt inquilini hostes. Eâ victus ratione simplici, ut morum innocentiam, sic vitam jucundam tuebantur Cœnobitæ, ipso anno centesimo sani. Verùm ut ætas parentum pejor avis tulit nos nequiores, imbecilla jam tractari molliùs vult, adeòque nostræ obsequimur intemperantiæ, ut eam excusare potiùs quàm excutere malimus. Non itaque mirum, si victûs ratione ubique terrarum obliteratâ, tàm ad morbos depellendos, quàm ad sanitatis tutelam,

ad Medica auxilia, præsertim ad ea quæ superflua detrahunt, & interplurima, præter cætera, ad venæ sectionem, tanquàm ad sacram anchoram sit confugiendum.

IV.

QUANDOQUIDEM ad omnes corporis functiones obeundas faciunt maximè Fluxiles succi, flexiles tubuli, deficiente eorum consensu, quanti, quæso, æstimaveris venæ sectionem, quæ præter cætera auxilia Medicæ artis conciliare potest solida cum fluidis? A sanguinis detractione laxatis fibris, remisso vasorum elatere, eorum flexilitate restitutâ, par ubique speranda veniet sanguinis, humorum, spirituum fluxilitas. Et certè ejus ope cuncta ad fluendum paratiora quis non animadvertat, ut vel sub ipsâ sanguinis detractione sæpè sponte solvatur alvuus, bonis ægri rebus, sæpè sudores profluant, urina liberiùs evehatur, & crisi salutari morbus solvatur? Venæ sectionem cæterarum evacuationum vicem supplere autor est Hippocrates. Exuperantis sanguinis redundantiam, senibus, præsertim iis qui lautè vivunt, frequentem, & maximè metuendam, momento tollet. Tubis vasorum extrà metas distentis vitio virtutis elasticæ, tonum restituet; facili alveo fluidior factus cruor, fluet liberiùs, sequetur secretio secura sanitatis assertrix; & ad Catharsim, quæ opus est majoris prudentiæ, felix præparatio. At incommoda, quæ venæ sectionem sequuntur, si animo revolvas; vix ulla: cùm sanguinis reproductio difficilis non sit, nec novus veteri deterior. Nec superfluum, nec suspectum erit viribus integris, vel oppressis, quod sæpè sæpiùs, non exolutis, quod rarò admodùm contingit, venam tundere. Quis te malus genius agit, Hæmophobe, ut quasi anima in empedocleo sanguine mersa foret, cum ipso vitam minui putes? Illi seni meliùs consultum credas, qui curet vitam dicto modo, cum minori periculo & dolore producere, renovato interdùm sanguine, quod superfluum est detracto; quàm illi qui errore & falso terrore seductus, imprudenter finit ob nimiam sanguinis copiam vitam extingui ac suffocari; ignarus senibus plus esse virium in conficiendo sanguine ad alendum corpus in singulos dies, quàm in expellendo & corrigendo inutili, quo corpus non alitur, sed gravatur & affligitur, suppressis excretionibus ad depurationem sanguinis tàm necessariis, & præsertim transpiratione imminutâ, cujus ope, non tantùm inertes humores, excrementitii succi, sed alimentorum, ut sanguinis maxima pars, in auras abit. Non itaque annos numera. *Antiqui* inquit Celsus, *primam ultimamque ætatem sustinere non posse hoc genus remedii judicabant; sed interest non quæ sit ætas, sed quæ vires sint. Firmus puer & robustus senex tutò venæ sectionem ferunt.* Tardum itaque dictu an venæ sectio juvet senes, eorum consulat sanitati, tutiùs an citiùs, imò & jucundiùs.

IV.

QUOTIDIANO corporis defectui, qui naturalis quidem ac certè gravis est morbus, veriùs quædam senectutis prolixitas, non aliter mederi potest homo, quàm si potûs, cibique adminiculo farciat quidquid illius succo continenter decedit; senes quos jàm destituit ventriculi tonus, fermentorum activitas, sanguinis & humorum fluor, transpirationis assiduæ effluvium, quo propiùs ad vitæ terminum accedunt, his vita paucioribus, coctu facilioribus alimentis est sustendanda. At ut vix quisquam qualem debet servare victûs rationem potest, aut ob negotiorum molem,

555

aut eorum quæ agenda sunt ad sanitatem ignorantiam, aut ob negligentiam, aut ob intemperantiam, hos intactos morbis perdurare impossibile erit in senectâ, in qua velut ætatis hyeme, plurimorum morborum procellæ præstò sunt, nisi quod deficit in victûs ratione, sectione venæ suppleas. Præsidium nihilhominùs haud trahendum in consuetudinem, minimè propter consuetudinem, religiosè certo tempore repetendum; sed interdum celebrandum, præsertim si lautè vivat senex, si pleniori sit habitu, si suppressus sit Hæmorrhoidum fluor, si quod ferè semper contingit, ab oppressis, non exolutis viribus morbus immineat. Sic caput à Vertigine, Apoplexia, Lethargo, in somniculosâ senectute vindicabis; sic suppressas Hæmorrhoides, Arthritidem sæpiùs criticam revocabis; sic bonum habitum, senibus sæpiùs lethalem, senis mentem sequutus, solves haud cunctanter, quo rursùs initium novæ nutritionis corpus sumat; sic in Plethoricis, Catarrho suffocante à sanguine stagnante, vel etiam à Saburra in ventriculo occurrere licebit; sic inflammatorios morbos quos parit inertia humorum, & eorum intestinus motus, præcavebis; sic licebit in plerisque Prophylaxeos scopum attingere, morbumque imminentem propulsare: Nec senectus quidem quæ solvit & frangit omnia, importuna erit; corpus solidum, succique plenum, omnibus functionibus obeundis par videbitur. Puro lumine, quidquid contrà Hæmophobi obgarriant, vigebunt oculi, & hac ratione floridior continget nulli non optata senectus: Quòd si tandem eò venerit ætas, quò vel cunctantibus veniendum, quò satietas vitæ tempus maturum morti affert, tàm placidè è vivis excedet, ut obdormire, non emori videatur.

Ergò præcavendis senum morbis, victûs rationi, venæ sectio, ut plurimùm, consocianda.

Domini Doctores Disputaturi.

M. Petrus Afforty.	*M. Michael Ludovicus Reneaume de la Garenne, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*	*M. Michael Pichonnat.*
M. Franciscus Aignan.	*M. Raymundus - Jacobus Finot, Chirurgiæ Professor.*	*M. Franciscus Picoté de Belestre.*
M. Jacobus Fourneau.	*M. Philippus Bernardus de Bordegaraye.*	*M. Joannes Daval.*

Proponebat Parisiis JOANNES-DAMIANUS CHEVALIER, Andegavensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1716.

Typis JACOBI QUILLAU, Universitatis, & Facultatis Medicinæ Typographi.